



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 54. Decreta ne Bona Ecclesiarum alienentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. Eonio mandat, ut venerabilem Antiqui-
A. C. 501. tatem fervet, nulla habita ratione nova-
 rum Constitutionum, quæ Pacem labe-
 factant, & Episcoporum Ambitioni fa-
 vent. Nempe sententiam pro Eonio
 pronunciat. Hæc Epistola 29. Sept. an-
 no 500. data. Ubi istud ad S. Aviti no-
 titiam pervenit, questus est, se inaudi-
 tum fuisse damnatum; nec etiam legi-
 mus, ab ipso quoque Mandatarium Ro-
 mam missum. Papa datis litteris ei re-
 spondit in hæc verba: *Si probare potes*
Anastasium Antecessorem meum jure me-
rito fecisse, quod fecit, lubentissime intel-
ligam, Canones ab ipso non fuisse viola-
tos. Non nunquam enim aliquid de ri-
gore Legis remittendum, ad obtinendum
majus Bonum, cum id ipse Legislator præ-
cepisset, si prævidisset. Hæc Epistola
 tertio Kal. Nov. Avieno, & Pompejo
 Consulibus, id est, 30. Octobr. anno 501.
 data.

Epist. 12. p.
 1311.

§ LIV.

*Decreta, ne Bona Ecclesiarum
 alienentur.*

Anno sequente 502. Avieno Juniore
 Consule 6ta Nov. Symmachus Papa
 celebravit Romæ Concilium, cujus Ca-
 nones præprimis cavent, ne Bona Eccle-
 siastica alienentur. Hæc Synodus in Ba-
 silica S. Petri congregata est. Cum Pa-
 pa

pa aderant octoginta Episcopi, quorum ^{Sæculum VI.}
 primi leguntur Laurentius Mediolanen- ^{A. C. 502.}
 sis, & Petrus Ravennatensis. Occurrit
 etiam Eulalius Syracusanus, Vir Pietate
 insignis. Præterea aderant Presbyteri ^{Vit. S. Fulg.}
 triginta septem, & Diaconi quatuor, in- ^{c. 12. ap.}
 ter quos secundus est Hormisdas, qui ^{Boll. 1. Jan.}
 posteriore tempore ad Dignitatem Papa- ^{p. 36.}
 lem evectus est. Primo Symmachus
 Gratias dixit Patribus, quod Clericis
 Schismaticis veniam obtulerint. Tum
 memorat, quod Schismatici Auctorita-
 tem alicujus Edicti jactarent, a Basilio
 Patricio editi, Bonorum Ecclesiasticorum
 conservandorum obtentu, idque Hormis-
 das Diaconus prælegere jussus est. Il-
 lud nempe hoc est Edictum quod anno
 483. sub Rege Odoacro emanavit. ^{Sup. L.}
XXIX. g.
59.

His perlectis Laurentius Mediolanen-
 sis dixit: *Hoc Rescripto nullus Episcopo-
 rum Romanorum teneri potuit; unde e-
 nim Laico Potestas quidquam in Ecclesia
 præcipiendi, præsertim cum nec Papa, nec
 Metropolitanarum aliquis subscripserit?*
 Eadem Petri Ravennatis sententia fuit.
 Eulalius Syracusanus addidit, Episcopos,
 qui huic Decreto consensissent, Papæ
 præjudicio esse non potuisse, cum sancta
 Sedes vacasset. In eandem opinionem
 omnes Patres ivere; hoc Rescriptum
 nullius esse Auctoritatis. Tum Papa,
 ut futuris provideret, Decretum pro-

L 5 nuncia

Sæculum VI. nunciavit, quod sequitur: *Non liceat*
 A.C. 502. *Papæ in perpetuum alienare quamcunque*
 p.1337.n.4. *Hæreditatem bonorum ruralium, aut in*
usumfructum dare, nisi Clericis, captivis,
aut peregrinis. Domus in Civitatibus
sitæ, quæ sine magnis sumptibus servari
non possunt, in annuos census locari pote-
runt. Presbyteri, quibus in Civitate Ro-
mana Titulus est, sub Depositionis pœna
eadem Lege tenebuntur. Qui rem aliena-
tam acceperit Anathemate ferietur, &
initus contractus erit nullus. Omnes
Clerici rem alienatam unacum fructibus
repetere poterunt. Hoc Decretum so-
lummodo sacram Sedem tangit, quilibet in
Provinciis Episcopus Ecclesiæ suæ usus
tenebit.

§. LV.

Apologia pro Symmacho Papa.

to.4. p.1364. Anno posteriore 503. post Consulatum
 Avieni actum est Romæ Concilium,
 quod sub Symmacho Papa quintum nu-
 meratur. Episcopis coram Confessione,
 id est, Reliquiis, S. Petri sedentibus dixit
 Papa: *Afferatur Scriptum ab Ennodio com-*
positum adversus illos, qui quartam no-
stram Synodum Romæ ad Palmaria cele-
bratam calumniari ausi sunt, & coram o-
mnibus legatur. Erat Ennodius Diaco-
nus Eloquentiæ laude celebris. Habe-
mus hunc Tractatum, ad Defensionem
 Sym-